

tentem) respondet *Bened. XIV.* Itaque Pontificis postea asserentis Sacramento imprimi characterem, quando non invenit obicem contrariae voluntatis, nemo non videt, hunc esse sensum, Baptismatis haberi effectum, quando quis vel in actu assensum praebet, vel jam ante praebuerit. Quod si Pontifex ea in sententia fuisset, suscipiendo Baptismati satis esse voluntatem non obsistentem, utique non decrevisset, ut revera statuit, in amentibus voluntatem necessario requiri antecedentem scil. in eod. c. *Majores* de Baptis. Denique §. 49. si baptismus violenter atque animo palam contrario suscipiatur, sub distinctione resolvit *Innoc. III.* in cit. c. *Majores*. Nimirum, si is, qui minis ac terrore correptus violentiae cedit, Baptismum, ut sibi consulat, suscipiat, tunc valere Baptismum: non autem valere, cui, vi illata, contradicenti et palam reluctanti hoc Sacramentum per vim confertur.

135. Dixi etiam, *nondum baptizatus*, non enim valet Baptismus iteratus, jam semel valide collatus; hinc qui temere baptizat jam valide baptizatum, aut qui jam baptizatus iterum Baptismum suscipit, grave committit sacrilegium, et irregularitatem incurrit, juxta c. ex litterarum 2. de Apostatis, et reiterantibus Baptisma. Adeoque nullo casu iterare licet Baptismum, quem constat jam esse valide collatum. *Prob. 1.* Ex Apost. ad *Ephes.* 4. *unus Dominus, una fides, unum Baptisma.* Quibus verbis PP. et TT. non tantum unitatem specificam, sed et numericam probant. *Prob. 2.* Ex *Symb. Constantinop.* *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Item ex *C. Flor.* in Decreto *Eugenii.* Ex *Trid.* sess. 7. can. 11. *Si quis dixerit, verum et rite collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad poenitentiam convertitur, anathema sit.* Vide etiam can. 9. cit. n. 3. p. 6. *S. Th. P.* 3. q. 66. a. 9. ait: *Dicendum, quod Baptismus iterari non potest. Primo, quia Baptismus est quaedam spiritalis regeneratio ... unus autem non est nisi una regeneratio, et ideo non potest Baptismus iterari, sicut nec carnalis generatio ... Secundo quia in morte Christi baptizamur, per quam morimur peccato, et resurgimus in novitatem vitae; Christus autem semel tantum mortuus est, et ideo Baptismus iterari non debet Tertio, quia Baptismus imprimit characterem, qui est indelebilis Quarto quia Baptismus principaliter datur contra originale peccatum; et ideo sicut originale peccatum non iteratur, ita nec Baptismus.*

136. Si tamen rationabile dubium sit, an quis vere, ac valide sit baptizatus, necessario repetendus erit Baptismus sub conditione. *N.* (exprimitur nomen baptizandi) *si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti.* Ita Agenda *Herbip.* *Alexander III.* c. de quibus. 2. de Bapt. ita statuit: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis praemissis: si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo etc.* Hanc praxim sub conditione baptizandi eos, de quorum baptismo rationabiliter dubitatur, esse antiquissimam, nec modo incepisse post saeculum quartum, erudite ostendit *Benedictus XIV.* de Synod. L. 7. C. 6. contra *Nat. Alexandrum.* Postea addit, quod talis conditio non passim et temere sit adhibenda, *sed tunc solum cum prudens et probabilis subest dubitatio, an quis fuerit baptizatus, nec, diligenti praemissa indagatione, potuit rei veritas innotescere.*

§. III. Resolvuntur Casus.

CASUS I. De materia remota Baptismi.

Teste *P. du Bernat Missionario S. J. in Aegypto, in Rituali Coptorum* narratur, quod tempore *Theophili trigesimi terti* Patriarchae a *S. Marco* mulier quaedam *Alexandriam* navigans prolem suam moribundam sanguine,

quem ex vulnere uberibus suis inflicto elicuerat, et lacte materno baptizarit. Postea *Alexandriam* deducta cum eandem prolem iterum sanam baptizandam obtulisset Patriarchae, isque eam vellet aquae immergere, mox adverterit, aquam subito fuisse congelatam, cumque mater rei seriem narrasset, Patriarcha infantem non baptizasse fertur, eoquod vere haec mulier viva sua fide baptizarit.

137. Q. I. An hic baptismus fuerit validus? R. *Negative*, ex defectu debitae materiae: ut in q. seq. dicitur. Neque hunc defectum supplere potuit fides matris. Ideoque *S. Pius V.* ex Commentario *Card. Cajetani* jussit extingui hanc doctrinam, quod parvuli, qui baptizari nequeunt, salvari possint per fidem parentum. Quid? quod ex libro miraculorum ab ipsis Coptis referatur, quod praedicta Mater, praeter istam ablutionem, prolem suam ter mari immerserit, pronuntiando formam debitam, *Ego te baptizo etc.*

138. Q. II. Quenam sit materia invalida, quenam valida, et quenam dubia Baptismi? R. Ad 1. Materia certo invalida sunt: vinum etiam lymphatum, h. e. cui parum tantum aquae est commixtum, succus ex fructibus v. g., pomis etc. expressus, lac, oleum, mel, sanguis, urina, lacrymae, saliva, sudor. *Ratio est;* quia ista in communi usu et aestimatione hominum aquae denominationem non retinent, nec in se sunt aqua proprie dicta, et elementaris. De saliva constat ex c. pen. de *Bapt.* Idem esto judicium de atramento et lixivio valde denso, cerevisia melioris notae, pulmento, jusculo sive offa valde densa ac pingui; verbo: materia invalida sunt omnia illa mixta ex aqua, quibus juxta communem usum ac prudentum aestimationem non convenit ratio ac denominatio materiae usitatae ab Ecclesia; tunc enim talis mixtio inducit mutationem substantialem, ut ait *Gobat de Bapt.* n. 31. vide dicta n. 7. Neque sal, glacies, nix, pruina, et similia nondum resoluta sunt materia valida; quia, quamdiu non resolvuntur, nec proxime apta sunt ad ablutionem, nec habent usum aquae nec denominationem. Talis materia in nullo casu valide aut licite adhibetur.

139. R. 2. Materia valida sunt aqua fontana, pluvia, marina, sive frigida, sive calida, turbida ex luto, expressa, sulphurata, ferruginea, ros etc. Ita *Antoine.* Item aqua resoluta ex glacie, nive, pruina etc. quia istae, et similes aquae habent rationem substantialem, veramque appellationem aquae naturalis.

140. R. Ad 3. Materia dubia sunt, aqua ex sale resoluta, liquor ex putatis vitibus, incisis arboribus defluens, quem multi probabiliter dicunt esse materiam plane invalidam, alii saltem dubiam (vide *La Croix de Bapt.* n. 260). Huc pertinet aqua rosacea, tenuis cerevisia, offa admodum tenuis, item atramentum valde tenue, quo Aethiops adhuc posset lavari, lixivium non multis cineribus commixtum, aqua, cui notabilis pars vini est commixta, denique omnis ille liquor, de quo inter graves AA. adhuc disceptatur, an non sit aqua naturalis, accidentaliter tantum immutata.

141. *Adverte I.* pro praxi sequentes regulas, quas tradit *P. Gobat.* l. c. n. 34. *Prima:* Peccat graviter, qui cum possit habere aquam certo validam, vel elementarem, adhibet aliam; quia absque urgente necessitate exponeret Sacramentum periculo nullitatis, et salutem infantis supremo discrimini.

142. *Secunda:* In articulo mortis, quando haberi non potest materia certo valida, debet adhiberi dubia, sub hac conditione: *si haec sit materia sufficiens.* Fatetur hic *Antoine*, quod ad hoc sufficiat etiam tenuis probabilitas de valore hujus vel illius materiae; quia in necessitate subveniendum est saluti proximi omni modo meliori, quo potest. *Neque est ullum periculum irrisionis rerum divinarum, quandoquidem necessitas id postulet,* ait *S. Th.* hic q. 60. a. 8. NB. Si sic baptizatus supervixerit, habita copia ma-

teriae validae, iterum baptizari debet sub hac conditione: *Si non es baptizatus etc. Pontas V. Bapt. cas. 3.*

143. *Tertia*: Graviter peccat peccato sacrilegii, qui absque gravi necessitate utitur aqua impura, turbida aut faeculenta; quia, licet aqua turbida sit materia valida, ea tamen abhorret ab usu Ecclesiae, estque contra reverentiam Sacramenti, imo saperet contemptum, si quis praesente aqua pura adhiberet impuram. *Palao de Bapt., Bonac. de Bapt. p. 3. n. 7., Henrig., Tolet.*

144. *Quarta*: Qui in Baptismo solemniter non adhibet aquam benedictam, probabiliter peccat graviter; tum quia agit contra grave praeceptum Ecclesiae, ut colligitur ex *Clement. unica de Bapt.*, tum quia in puncto gravi concernente administrationem Sacramentorum agit contra consuetudinem Ecclesiae. *Quintanad. defendit*, quod talis tantum peccet venialiter. *Dixi in Bapt. solemniter*; in privato enim et non solemniter licet adhibere aquam non benedictam in defectu benedictae. *Gobat. l. c. n. 41.* Praeterea in Decreto *Bened. XIV.* super pluribus Disciplinae capitibus pro Incolis Regni Serviae, cujus initium est: *inter Omnigenas*, Tom. I. Bullarii §. 20. ita statuitur: *Curandum est etiam, ne extra casum necessitatis, justique timoris ab Infidelibus incussi, communis et naturalis aqua, vel etiam ea, quae pro lustrationibus benedicuntur, in Baptismi administratione adhibeatur, ac temere omittatur usus aquae ad hunc praecise effectum benedictae juxta praescriptum Rit. Rom.*

145. *Adverte II.* Circa aquam benedictam juxta Agendam Moguntinam Herb. et Wormat. observanda sunt sequentia. 1. *Aqua sollemnis Baptismi sit eo anno benedicta in Sabbato Sancto Paschatis, vel Pentecostes, quae in fonte mundo nitida et pura diligenter conservetur* 2. *Si aqua benedicta tam imminuta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minori tamen quantitate.* 3. *Si vero corrupta fuerit, aut effluerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in fontem bene mundatum, ac nitidum recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula in singulis fere Agendis praescripta.* 4. *Sed si aqua conglaciata sit, curetur, ut liquefiat: sin autem ex parte conglaciata sit, aut nimium frigida, poterit parum aquae naturalis non benedictae calefacere et admiscere aquae baptismali in vasculo ad id parato, et ea tepefacta ad baptizandum uti, ne noceat infantulo.*

CASUS II. De Materia proxima Baptismi.

Eucharius Parochus insigniter prudens, cum ex secreta, sed certissima relatione accepisset, infantes a pluribus annis ab antecessore suo invalide fuisse baptizatos; ut tam saluti Parochianorum, quam famae antecessoris consuleret, inquit in libro Baptismali, quinam ab eo fuerint baptizati, postea eorum parentes invisendo, quos reperit adhuc juniores, digito aqua lustrali madefacto signat signo crucis, adultiores vero aqua lustrali aspergit, alios amice ad se invitat, quos in discessu eodem modo aspergit consuetam simul Baptismi formam tacite pronuntians.

146. Q. I. An valide baptizavit signando parvulos digito aqua lustrali madefacto? R. *affirm.* Quia vere per contactum successivum iis fuit applicata materia; ergo vere possunt dici abluti. Sic V. P. *Carolus Spinola* Nangasachii in Japonia, cum in media barbarorum turba videret parvulum jam jam moriturum, mox ad vicinum amnem properavit, ibique strophilo bene madefacto festinus quasi medicinam applicaturus accurrit, et parvulum in fronte abluit consuetam simul Baptismi formam pronuntians; puer paulo post susceptum Baptismum exspiravit.

147. Q. II. An Eucharius aspergendo valide baptizavit? R. Si tantum

aquae asperserit, ut non tantum fuerit contactus aquae ad frontem, sed aqua de parte ad partem defluerit, valide baptizavit: quia per ejusmodi successivum contactum potest fieri vera ablutio. Vide *Bonac. hic. n. 12.* ubi requirit plures, quam tres guttas, saltem si illae per asperionem corpus quidem contingant, sed immotae adhaereant, eoquod tunc non videatur posse dici facta ablutio.

148. I. Ad plurimos casus de materia proxima Baptismi *Observa I.* Infans in matris utero ita latitans, ut nulla ejus pars aqua perfundi queat, baptizari non potest: nec ei quidquam prodest, quod nonnulli HH. olim sunt arbitrati, si ejus loco matris corpus abluatur, ita *Benedictus XIV. L. 7. de Synodo Dioecessana C. 5. n. 2.*

149. II. *Ibid.* ad quaestionem, an valide baptizaretur infans, cujus corpusculum, etsi nulla sui parte in lucem prodierit e matris utero, aqua nihilominus saltem per siphunculum tingi possit, respondet *primo*, ultimum hujus controversiae judicium a Sede Apostolica proferendum esse. *Secundo.* Ad Parochos pertinere obstetrices instruere, ut cum ejusmodi casus evenerit, in quo infantem nulla adhuc sui parte editum mox decessurum prudenter timeant, illum baptizent sub conditione, sub qua pariter erit iterum baptizandus, si periculum evadat et foras prodeat.

150. III. Agenda Mogunt. Herbipol. et Wormatiensis de infante, qui aliquam sui partem ex utero emisit, ita habet: *Nemo in utero matris clausus baptizari debet. Sed si infans caput emisit, et periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec postea si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum, v. g. manum, vel pedem, emisit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur; et tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus, eo modo quo supra dictum est: si non es baptizatus, Ego te baptizo in Nomine Patris etc. Si vero ita baptizatus deinde mortuus prodierit ex utero, debet in loco sacro sepeliri.* Ita *Laym. L. 5. t. 2. C. 3. n. 3. Sylv., Mastrius et Card. de Lauraea hic n. 36.* Et contra *Gobat* hic n. 54. cum *Tannero* et *Escobar* negat talem Baptismum esse iterandum, cum non sit moraliter dubius. Idem sentit *Benedictus XIV. L. 7. de Syn. Dioeces. C. 5.*

151. IV. Agenda cit. ibidem statuit: *si mater praegnans mortua fuerit, os ejus apertum teneatur, et foetus quamprimum caute extrahatur, ac si vivus fuerit, baptizetur; si fuerit mortuus, et baptizari non potuerit, in loco sacro sepeliri non debet. Unde male faciunt, qui talem infantem in eodem sepulcro cum matre sepeliunt.*

152. V. Affirmat quidem *Gobat* hic n. 58. cum *Vasq., Dicast., Aureolo* et aliis, Baptismum infanti secundinis incluso collatum validum esse; *Clericatus* vero de Bapt. decis. 29. n. 10. ait, juxta communem DD. sententiam illum esse dubium, adeoque sub conditione repetendum.

153. VI. Cum in utramque partem in quaestione, an sufficiat in Baptismo sola ablutio capillorum, graves AA. propendeant (negativam enim tenent *Bonac., Laym. l. c., Silvius*; affirmativam vero *Toletus, Valentia, Graffus* et alii) ideo recte resolvit *Clericatus l. c. n. 9.* Baptismum in tali casu esse dubium, idcirco repetendum sub conditione. Pro praxi bene curandum est, ut aqua per frontem, vel scapulas defluat, praesertim quando infantes jam densos, et ab obstetricibus non sollicitate ablutos, sed aliqua quasi pinguedine perfusos habent capillos, per quos aqua ad cutem verticis penetrare nequit.

154. VII. Si quis carens aqua infantem alioquin moriturum sine Baptismo projiceret in aquam et simul proferret formam, Baptismus esset quidem validus, modo non exspiret infans antequam Baptismus conficiatur:

quia esset vera immersio conjuncta cum debita forma: foret tamen illicitus talis Baptismus, quia committeretur verum homicidium, quod est intrinsece malum. Nec juvat, quod projiciens non intendat occisionem, sed praeferat tantum vitam animae vitae corporis; quia projectio in tali casu per intentionem disjungi nequit ab occisione: ergo manet directa occisio; vita autem animae non est nisi per media licita praeferenda vitae corporis, neque facienda sunt mala ut eveniant bona. *Laymann.* l. c. n. 5.

155. VIII. Ex eadem ratione non licet secare matrem, etiam instante jam certa ipsius morte, ut salvetur anima prolis adhuc in utero latentis per Baptismum; quia esset directa occisio innocentis. Ita *Comitolus* L. 1. resp. mor. q. 14. Nec licita est talis sectio etsi mater consentiat, quia nemo est dominus vitae suae.

Q. 1. Quid, si periti Chirurghi affirmant, posse fieri sectionem salva vita matris? Respondet *Gobat* eam tunc licite fieri. Vide *Theoph. Rayn.* in T. de ortu infantium per sectionem Caesaream.

Q. 2. An possit secari mater praegnans ad mortem damnata propter crimina? R. Praxis habet ex Jure Civ., ut differatur supplicium, *L. praegnantem Digest. de Poenis.* Quid si talis mater interim ex gravi morbo vita periclitaretur? R. Talis rea mortis posset secari, servato juris ordine, si spes sit, fore ut foetus possit baptizari: ita *Escobar* T. 7. Exam. 2. cum *Suar.* et aliis contra *Comit.*

CASUS III. De forma Baptismi.

Vide dicta supra n. 13. 14. 15. Item casum tertium n. 18. et casum quintum n. 32. etc. his adde sequentem casum.

Eulogius tenaciter cum Engelberto disputans defendit, validum esse Baptismum in Nomine Christi collatum, mixtus testimonio Scripturae Act. 8. 16; 2. 38; et 19. 5. Porro ait hanc esse genuinam sententiam Catechismi Rom., S. Th., S. Ambr. etc. Denique addit: ut videat Engelbertus, quod haec sententia mihi cordi sit, cras divitem Judaeum, quem hucusque instruxi, sub hac forma baptizabo: Ich tauffe dich, Jude, im Namen Christi. Amen.

156. Q. I. An validus fuerit hic Baptismus? R. *Negative:* quia in ejus forma non exprimitur Trinitas personarum. Ita comm. vide dicta n. 131. Manet certa et indubitata sententia *S. August.* L. de Eccl. dogm. c. 52. *Illos, qui non Sanctae Trinitatis invocatione apud HH. baptizati sunt et veniunt ad nos, baptizari debere pronuntiamus, non rebaptizari; neque enim credendum est, eos fuisse baptizatos, qui non in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. juxta regulam a Domino positam tincti sunt: ut sunt Paulinianistae, Prodigiani etc.* Erravit quoque *Eulogius* contra usum Ecclesiae, nomine tantum communi appellando baptizandum; jubent enim *Agendae*, nomine proprio, quod ante baptismum imponitur, compellere baptizandum, quod indicatur per litteram N, v. g. *Petre, Ego de baptizo.*

157. Q. II. Quid ad argumenta *Eulogii* respondere debuerit *Engelbertus*? Respondere debuit ad 1. quod illud Act. 8. 16. *Sed baptizati tantum erant in Nomine Domini Jesu,* tantum innuat, incolas Samariae solum Baptismum Christi accepisse, nondum autem per manus impositionem Sacramentum Confirmationis: item quod invisibiliter tantum per Baptismum acceperint Spiritum Sanctum, non autem visibiliter, quod tum fiebat per Sacramentum Confirmationis. *Corn. a Lap.* Item quod Act. 2. 38. *Baptizetur unusquisque vestrum in Nomine Jesu:* et Act. 19. 5. *Baptizati sunt in Nomine Domini Jesu;* per *τὸ* in Nomine Jesu Christi non designetur forma, sed tantum significetur, discipulos illos baptizatos fuisse Baptismo Christi, non Joannis, uti ex cit. c. Act. 19. patet, ubi mirabatur Paulus,

quod Ephesii respondissent, se nescire, an esset Spiritus S., et statim interrogabat: *In quo ergo baptizati estis?* Ergo supponebat S. Paulus, quod si baptizati fuissent ab Apostolis, audivissent ex ipsa forma invocationem Spiritus S., et non tantum formam in solo Nomine Jesu prolata. Postquam autem Paulus audivisset, eos baptizatos tantum fuisse Baptismo Joannis, jussit eos baptizari in Nomine D. J. h. e. auctoritate, et Baptismo Christi in Nomine P. et F. et S. S. Adde verba *S. Cypriani* Epist. 73. ad Jubajanum: *Jesu Christi mentionem facit Petrus (Act. 2.) non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri Filius quoque adjungeretur. Tertull.* L. de Bap. c. 13. de Apostolis ait: *Tingentes eas (gentes) in Nomine P. et F. et S. S.*

Ad 2. debuisset respondere, quod Catechismus Rom. et s. Th. 3. P. q. 66. a. 6. ad 1. non doceant, hodie validum esse Baptismum in solo Nomine Christi collatum, sed tantum explicent sententiam eorum, qui affirmarunt Apostolos baptizasse in Nomine Christi, scil. in primitiva Ecclesia ex speciali revelatione Christi ac dispensatione Apostolos administrasse Baptismum in Nomine solius Christi, ut hoc S. Nomen (quod erat odiosum Judaeis et gentibus) honorabile redderetur; cui tamen explicationi merito a pluribus praefertur expositio superius data.

Ad 3. Potuisset claram sententiam *S. Ambrosii* ex L. de Mysteriis C. 4. opponere, ubi S. D. ita scribit: *Credit catechumenus, sed nisi baptizatus fuerit in Nomine P. et F. et S. S., non potest accipere remissionem peccatorum.*

Reliqua argumenta de sententia S. Stephani P. et M., item Nicolai I, et S. Bernardi solvuntur in Th. Schol.

158. Praeterea observa I. Invalidae sunt sequentes formae: *Ego te baptizo in Patre, et Filio, et Spiritu S. vel, Ego te baptizo cum P. et F. et S. S.,* item, *Ego te baptizo in Nominibus Patris etc.* quia per has formas non exprimitur unitas Personarum divinarum in essentia. *Laym.* l. c. C. 4. n. 5. cum *Suar. Henriq.* et aliis. De postrema forma ait *S. Hieron.* in Epist. ad Gal. L. 2. c. 5. relatus in Canon. *Eodem* 8. de Consecrat. Dist. 4. *Non baptizamur in Nominibus P. et F. et S. S., sed in uno Nomine, quod intelligitur Deus.* Et S. Aug. L. 2. contra Maximinum c. 23. ait: *In Nomine, non in Nominibus: hi enim tres unum sunt, et hi tres unus est Deus.*

159. II. Formae dubiae ob sententiam AA. utrinque probabilem sunt: 1. *Baptizo te in Nomine Patris, Baptizo te in Nomine Filii, in Nomine S. S.* Quia licet sic non exprimat pluralitas naturarum, uti fit per *τὸ* in nominibus, non tamen satis exprimitur unitas essentiae. 2. *Baptizo te in nomine Genitoris, Geniti, et Spirati:* vel, *in nomine Omnipotentis, Sapientis, et Boni;* quia Trinitas Personarum sic non explicatur vocibus, quibus a fidelibus debet apprehendi, ut ait *Busemb.*

CASUS IV. De Ministro Baptismi.

Refert Brettenbachius, quod Amstelodami anno 1579. uxor Catholica mariti Calvinistae natam sibi prolem ad Ministrum Catholicum baptizandam deferri voluerit, maritus ad Calvinianum: cum vero pia mater id a conjuge impetrare non posset, prolem ipsa clam baptizat. Maritus facti ignarus paulo post infantem defert ad Praedicantem; hic cum baptizare pararet, subito obmutuit; maritus cum prole domum redux uxorem severe aggreditur, et quid veneficii attentasset, percontatur: illa ingenue fatetur, quod ipsamet prolem jam baptizavit: unde et maritus divinam virtutem agnoscens fidem orthodoxam professus est.

160. Q. I. An licite haec puerpera prolem suam prius ipsa baptizavit, quam deferretur ad haeticum? R. Si praeviderit, prolem adhuc rebapti-

zatum iri ab haeretico, illicite egisset; quia minus videtur esse malum, quod infans baptizetur ab haeretico, quam quod rebaptizetur. Ita *Lugo* de Fide D. 14. S. 5. n. 164. Si vero praeviderit, eam non esse rebaptizandam, neque haberi potuisset alius Catholicus, licite videtur egisse. Ita *Lessius* in Auct. V. *Baptismus* casu 2. ait, matrem posse curare, baptizari infantem privatim catholice etiam a muliere, si alius desit; quia habet jus ad talem Baptismum prolis suae, praesertim si diu exspectandus esset Baptismus Praedicantis cum periculo, ne prius moriatur infans. Vide *La Croix* Lib. 6. P. 1. n. 280.

161. Q. II. An liceat prolem baptizandam deferre ad ministrum haereticum? R. *Per se* loquendo, id non licet. *Ratio* 1. est: quia cum baptizatio sit actus jurisdictionis, eam petere a Praedicante tanquam ministro publico, esset tacite profiteri, illum esse legitimum ministrum talis caeremoniae, imo foret cum haeretico communicare in sacris: atqui haec sunt illicita: ergo. *Ratio* 2. est: quia minister haereticus, sicut omnis alius laicus, extra casum necessitatis baptizans graviter peccat: ergo qui extra necessitatem peteret a tali ministro Baptismum, merito dicendus esset cooperari alterius peccato. Dixi, *per se loquendo*: quia per accidens, quando scilicet Catholici parentes sub gravissimis poenis adiguntur deferre proles ad Praedicantem, hoc casu probabiliter licet deferre; quia si in his circumstantiis quis petat ab haeretico Baptismum, videtur tantum profiteri, quod in tali casu necessitatis Praedicans sit validus minister Baptismi, et quaesitus, cur a Praedicante petat Baptismum, diceret: quia cogor et aliter evitare nequeo injustam vexationem. Neque hoc esset communicare cum HH. in sacris, sed tantum permittere, et coacte quidem, eorum caeremonias, quas liceret etiam permittere in eo casu, quo non adesset Catholicus, qui sciret baptizare. Ita *La Croix* l. c. n. 282. pro excusatione parentum Catholicorum, alias gravissimis poenis subjectorum; quae tamen dicta relinquit sapientiori aliorum iudicio definienda. Contrarium decidunt ex declar. *Clem. VIII., Less. Veruys et Pignatelli.* Aliud est de coena HH. quia Praedicans nequidem validus est minister Eucharistiae et consequenter ipsa HH. Eucharistia est nulla. Baptismus autem ab haeretico collatus secundum debitam materiam et formam est validus. Praeterea susceptionem coenae communiter omnes habent pro signo protestativo illius Religionis, juxta cujus ritum suscipit Eucharistiam; susceptionem autem Baptismi vel nullus, vel paucissimi pro tali signo habent, eo quod et ipsi HH. infantes curent baptizari a Catholicis.

162: *Adverte.* Conveniunt AA. si mater catholica sciat tale praecceptum sub gravi poena deferendi infantem baptizandum ad Praedicantem, quod teneatur ante partum in locum catholicum se conferre, si possit, ut ibi prolem enitatur, et catholice curet baptizari.

163. *Quid*, si domum redux sub gravi poena obligetur, ut saltem petat a Praedicante inscribi nomen prolis libro baptizatorum? Respondet *La Croix* l. c. hoc licite posse fieri, quia non profitetur per hoc in Praedicante spirituales potestatem, sed tantum adhibet cautelam, ut aliquando possit obtineri testimonium suscepti Baptismi.

164. Pro reliquis casibus de ministro resolvendis *observa* I. Graviter peccant parentes, si prolem suam Parocho alieno absque proprii licentia baptizandam afferant; tum quia peccato alieno cooperantur, tum quia contra Ecclesiae ordinationem cum violatione juris alieni in re de se gravi agunt. *Laym.* l. 5. t. 2. c. 7.

165. II. Peregrina pariens in alieno pago, potest Baptismum prolis petere vel a Parocho loci, aut infantem mittere ad Parochum proprium,

si vicinus sit. Alias peregrini et vagi possunt eligere locum Baptismi, quem volunt. *Jansen.* p. 2. cas. 89. cum *Barbosa, et Pignat.* *Ratio* est: quia hi nullius jurisdictionem violant, hoc ipso, quod ad nullam Parochiam spectent, isti autem sint in loco alieno.

166. III. Ex dictis n. 133. Religiosus peregrinus, vel subsistens in aliquo loco peccaret graviter, si extra casum necessitatis absque licentia Parochi illius loci baptizaret; quia violaret graviter alienam jurisdictionem.

167. IV. Si plures adsint, dum quis in necessitate baptizandus est, debet servari sequens ordo juxta Agend. *Herbip. de Ministro Bapt. Si adsit Sacerdos, Diacono praeferatur* (h. c. baptizet Sacerdos, non vero Diaconus) *Diaconus Subdiacono, Clericus Laico, et vir foeminae; nisi pudoris gratia deceat foeminam potius, quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius foemina sciret formam et modum baptizandi. Quapropter curare debet Parochus, ut fideles, praesertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant et servent.* Addunt alii, quod pariter praefendus sit non excommunicatus excommunicato, catholicus haeretico, et baptizatus non baptizato; quoad hos postremos, uti et quoad Sacerdotem et Diaconum respectu aliorum, est obligatio gravis servandi ordinem, caeteris paribus; quia id exigit reverentia sacramenti et dignitas Ordinis. Quoad alios non videtur esse gravis obligatio. Recte tamen monet *Taberna,* cavendum esse, ne, dum deliberatur, quis debeat praeferrari, in necessitate constitutus moriatur sine baptismo. *Ibid.*

Additur in Agenda cit. *Pater aut mater propriam prolem baptizare non debet, praeterquam in mortis articulo, quando alius non reperitur, qui baptizet, neque tunc ullam contrahunt cognationem, quae matrimonii usum impediatur.* Idem habetur c. *ad limina* 7. causa 30. q. 1.

168. V. Non valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *non intendo, quod facit Ecclesia.* Ut patet ex propos. 28. ab *Alex. VIII.* damn. de qua egimus n. 57. Vide etiam casum n. 71. ex Bull. *Benedicti XIV.* relatum.

Quid vero agendum confessario, si forte pessima obstetrix aut saga in confessione dicat, quod a pluribus annis in necessitate ex intentione baptismo contraria, v. g. in nomine diaboli vel sine intentione infantes baptizavit? R. Confessarius omni modo proponat gravitatem criminis sui, nec eam prius absolvat, quam certus sit de firmo proposito desistendi ab artibus magicis et satisfaciendi obligationi suae, vi cujus tenetur vel ipsa manifestare Parocho, vel Confessario dare licentiam, rem deferendi ad Parochum, in cujus parochia exercuerat officium obstetricis, simulque sincere jubeat dicere, quos invalide baptizavit et de quorum baptismo dubitet, ut hoc modo saltem privatim et in occulto valide baptizentur. Juxta *P. Gobat, et Elbel* cas. 2. de Baptis. Confessarius dicat tali mulieri: Si per te licet, accedam ad Parochum, vel si necessarium videatur, ad Principem Ecclesiasticum, dicamque, me aliquod secretum, ex quo pendeat salus multarum animarum, ipsi aperturum, si sancte promittat impunitatem: si consentiat poenitens, accedat Confessarius, et cum dicta conditione Parocho vel Principi Ecclesiastico dicat, mulierem baptizando errasse, serioque fateri, se non cum debita intentione baptizasse: caeterum, quod sit saga, vel quod in nomine diaboli baptizavit, omnino reticeat. *Ibid.* addit *P. Elbel,* quod iudex Ecclesiasticus teneatur admittere conditionem, et sine ulteriori examine pro sua prudentia providere, ut suppleatur baptismus: alias enim absterrerentur ejusmodi homines a manifestatione similium delictorum, si ex confessione Sacramentali incurrerent